

141

gula quæque conficiebant; atque ut in uno Collegio plures artifices continebantur, sic lanarii quoque, & fortasse etiam Vestiarii eidem Collegio adscribebantur.

DENDR. Diu inter viros doctos de hujus verbi significatione disceptatum est, quorum tamen controversiæ ad nos minime pertinent. In hac enim Inscriptione ii sunt, quibus cura fuit, ut ait doctissimus Fontaninus eod. Cap. V. n. 4. *cadendi, asportandique rudem e sylvis materiem*. In eorum porro Collegio, Tignarios etiam, & Lignarios comprehensos fuisse non dubito, quum illorum opificium proxime ad illud Dendrophorum accedat.

NAVICVL. Navicularii Græce *ναυκληροί* dicuntur, nos hodie *Patroni di Barca* appellamus. Dioscori Naucleri Græcam Inscriptionem vide in nostris Christianis. Porro ob eam, quam sæpe diximus rationem, eodem Collegio Lenuncularios quoque contineri puto, & alios ejusmodi generis homines.

VICIMAG. Nisi Vici-Magistros quoque in unum corpus coisere, & Patronum sibi C. Valium adoptasse velimus, munus hic C. Valii significari concedamus necesse est, quod nempe Vici-Magister fuerit Coloniz Pisarenensis. De Vici-Magistris V. Not. IX. & infra Not. CXXXII.

Sed quoniam de Collegiis verba fecimus, novum aliud Antiquariis, ut arbitror, hætenus inauditum proferamus ex Inscriptione, quam in agro Tudertino ad S. Mariæ in Pantano, ubi fuit olim Vicus Martis Tudertini, ex marmore descripsit, dum adhuc adolescentulus esset, Jo: Baptista Passerius amicus in primis meus.

C. SV-